IOHANNES DE ALTA SILVA. PS.-GUALTERUS BURLAEUS. NIGELLUS DE LONGO CAMPO

Tirol (?), 1. Hälfte 15. Jh. Seite 139r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

eorum michi placet quoniam alter nichil habet, alteri
vero nichil satis est. Eque enim malam licencias
imperii nigram iudicauit inopiam et auariciam
sicut neuter iussus est. Dicebat Scipio nichil
esse difficilius quam amiciciam vsque ad extremum diem
vite permanere. Interdum enim dirimit contencione
lucri vel alterius comodi quod ambo adipisci vterque
non potest. Pestem quoque nullam esse maiorem
in plerisque amicis quam glorie cupiditate, ex qua
ob certamen honoris et glorie inimicicias maxi-
mas sepe inter amicissimos extitisse videmus.
Idem eciam de se dicere solitus erat, nunquam se minus
ociosum esse quam cum ociosus nec minus solum quam
cum solus esset. Dicebat eciam quod ut milites equos
propter crebras concertaciones preliorum ferocitate exsul-
tantes domitoribus tradere solet, ut hiis facilio-
ribus possint uti. Sic homines secundis rebus effrenatos
sibique presidentes tamquam in gyrum racionis et doctrine
duci oportet ut perspiciant rerum humanarum imbecil-
litatem varietatemque fortune. Idem solebat con-
queri quod in rebus omnibus homines diligenciores es-
sent capras et oues quot quisque haberet dicere posse
amicos quot haberet dicere non posse

Tullius cognomento marchus et ciuis roma-
nus nobilissimus inter consules romanorum
cesaris tempore claruit. qui philosophus maximus
fuit et vir studiosissimus valde. Hic vxore repu-
diata rogatus fuit ab hyrcio precipue ut soro-
rem eius vxorem acciperet. Cum non acquiesceret
dicens se non posse vxori et philosophie pariter operam dare

139